



Hermannus magna prudentia & eruditione fuit praeditus. Itaque cum sedes Verdensis suo praesuli destitueret, eius loci praesul electus est. Eam functionem magna diligentia & dexteritate administravit, atque talem sese praestitit, ut inter Germaniae principes prudentissimus haberetur. Itaque Fridericus Barbarossa Imperator eum plurimum dilexit, atque hunc inter intimos suos consiliarios asciuit. Itaque cum Imperator in Italiam proficisceretur, inter alios principes hunc etiam secum habuit. Cum etiam Mediolanenses uicisset, atque multi principum domum redirent, hunc nequaquam dimittere, uerum socium semper retinere uoluit.

Vnde eius opera in rebus grauissimis usus, eum aliquoties Legatum ad pontificem misit, & per eum id quod uoluit impetrauit. Cum autem domum reuersus esset, Premensis praesul cum eo de quibusdam rebus disceptauit. Itaque causa ad Imperatorem delata, qui sententiam pro Hermanno dixit, atque etiam eius Ecclesiam, ob pastoris uirtutes, multis priuilegijs exornauit. Cum hoc modo diu foeliciter praesuisset, tandem anno 1180, mortuus, Hugonem successorem habuit. Anon, Crantz,